(2)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ARTHURUS WEST,

Hibernus.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

AMICO SUO ET COGNATO DILECTO,

HENRICO IRWIN, M.D.

NOSOCOMIORUM MILITARIUM

SCRUTATORI LEGATO,

LEGIONIS MILITIÆ VIGESIMÆ SECUNDÆ

CHIRURGO,

NECNON

VALETUDINARII SLIGENSIS

MEDICO,

CUJUS SUB DUCTU ET AUSPICIIS

ARTIS APOLLINARIS PRIMORDIA INIVIT,

ET QUI IN SE PLURIMA BENEFICIA

SEMPER MEMORANDA CONTULIT,

HAS PAGINAS

INSCRIBIT

AUCTOR.

Doctor Woodforde, with
the Compliments of the
Author

PATRI SUO DILECTO,

VIRO REVERENDO CAROLO WEST,

PAROCHIÆ *AHAMPLISH*, IN COMITATU SLIGENSI,

SACERDOTI VICARIO,

HANC DISSERTATIONEM,

PIETATIS ET REVERENTIÆ,

OB MULTA CURÆ INDULGENTIÆQUE

PATERNÆ PIGNORA ACCEPTA,

TESTIMONIUM,

SACRAM VOLUIT

FILIUS

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

ARTHURO WEST Auctore.

PROŒMIUM.

MORBORUM quibus genus humanum plectitur, historia causarum, ratio modusque medendi, locum inquirendi medico profecto latum, præbent; qui tamen indies ob scientiam, de his rebus accumulatam minuitur; ideoque, hunc tractatum, ineo, non ut aliquid scientiæ jam comparatæ adjiciam, neque quidem, ut quodvis, adhuc obscuritate repressum in medium proferam, sed ut regulis Senatus Academici, quæ unumquemque summos Medicinæ honores ambientem, tentamen

inaugurale, de aliquo argumento medico, edere volunt, obtemperem ; et quoniam Febris Intermittens, in comitatu ubi fere dego, etsi non ei indigenosa, crebrescit, ad eam magis sedulo observandam, et pro hujus tentaminis argumento proponendam, perductus sum. Cum in memoriam revocamus, commeatum liberum inter varias mundi partes, præ cæteris, pro litus intercedentem, hunc morbum, sæpe homines invadere, vix mirum omnino erit ; et iste commeatus adeo cum necessitatibus hominum usuque vitæ eorum involvitur, ut iis se ab ejus aggressu incolumes præstare, haud persuadere potest.

Quamvis paludes, eluviesque et gurgites cœnosi, in Hibernia pariter ac in Anglia, inveniuntur, tamen morbus, de quo agitur, in partibus illius, ubi tales paludes sunt, penitus incognitus est ; et hoc mirum et præclarum, eo comprobatur, quod in exemplis fere cunctis, morbus in Anglia, ortum habuisse reperiatur ; neque in ullo tradito, originem in aliqua, partium regionis, supra memorata, sumpsisse cognoscitur. Fatendum, quidem, est pauca esse exempla, ubi in illa regione, acciderit ; non autem simul silentio præteriri debet, partes quasdam ejus ab istius vitii, invasione

prorsus immunitatem habere. Hæc didici, dum duobus Dispensariis aderam, medico me docente, a quo profecto, primis medicinæ elementis, institutus sum, et ibi compluria Febris Intermittentis exempla, conspicienda occurrerunt, quæ quidem, originem suam ad Angliam retulerunt.

MORBI HISTORIA.

Febris, sensu vocabuli latiore accepto, haud, ob symptomata complexa, ita facile definiri queat; sed quoniam definitio Febris Intermittentis a Doctore Cullen prolata, cæteris melior habetur, ad eam referre liceat:—" Febres miasmate palu-" dum ortæ, paroxysmis pluribus, apyrexia sal-" tem remissione evidente, interposita, cum exa-" cerbatione notabili, et plerumque cum horrore, " redeuntibus constantes; paroxysmo, quovis die " unico tantum."

Hic morbus, ex paroxysmis, certis temporibus revertentibus, ab initio constat, remissione intercedente, sibi respondente, plerumque; at typi uniformitas, ob quædam casu accidentia, veluti, tempestatem, cœlum, et præsertim corporis habitum, varietur. Diuturnitas remissionis typis diversis

nomina diversa imposuit, verba gratia, "Quoti-"diana, Tertiana, et Quartana." Distributio generalis in Intermittentes Regulares et Irregulares fit; at multæ aliæ præterea existunt, a rebus in ægro quolibet, præsentibus pendentes, quas limites hujus tractatus arctiores, rejiciunt. Tria stadia paroxysmum efficiunt, quæ sibi deinceps, ordine certo succedunt, et nomina, Frigidum, Calidum, et Sudans, prout, varia indicia cuique adsunt, habent. Sensus languoris generalis paroxysmi accessionem antecedit, qui oscitatione et pandiculatione, frequente, manifeste proditur; capitis dolor, nausea, sensusque frigoris, quoque comitantur. Stadium primum sive frigidum, a succussionibus rigoribusque, corporis diuturnitatis vehementiæque variæ incipit. Hac conditione, functiones singulæ, plus minus turbantur; respiratio ob copiam sanguinis, ad pulmones derivatam, a statu summæ cutis constricta, multum impeditur. Functiones naturales, sub quo nomine, Secretiones, Excretiones et Concoctionem, complectimur, haud parum læduntur; postrema præ cæteris, quod a nausea, vomituque sæpe præsentibus, satis superque monstratur: vomitus autem, cordis et arteriarum actione excitata, ideoque sta-

dio frigido finito, haud raro prodest; inde inter prima est, in hoc morbo curando, vomitorium remedium, exhibere. Stadium secundum sive calidum ei jam proxime descripto succedit, et vultu rubefacto itemque calore diffuso, mutationem in ægri conditione gratissimam inducente, notatur; nunc quoque corporis relaxatio generalis subit; functiones jam partim vigorem solitum recipiunt, et id respiratione melius peracta pulsuque saniore comprobatur. Renixus autem nonnunquam adeo vehemens est, ut excitationem vasculosam magnam, aliquando ad delirium usque provectam, efficiat; vasa secernentia et excernentia, actione sua plene recuperata, muneribus libere funguntur; unde oritur humiditas quædam in partibus singulis conspecta, quæ paulatim ad sudorem profusum; continuata, originem, tertio et postremo, id est sudanti stadio, præbet, et sic paroxysmum resolvit. Ex supra dictis, igitur, primum seu frigidum, duobus subsequentibus causam quare accedant, existere constat. Distributio hujus mali in typos suos propria, maxime medici interest, quippe quæ in prognosi prædicanda et interdum in prophylaxi instituenda, haud parum adjuvet.

Forma Quotidiana, rarissima, at sævissima, et

quod at typum attinet, maxime mutabilis, existit. Aggressus ejus mane invadunt, notis Quotidianæ veræ alienis sæpe comitantibus, cui porro juniores et fœminæ compagis mollioris et debilioris, præ cæteris, proclives fiunt CULLEN celeb. hanc ita definit :—" Paroxysmi similes, intervallo viginti " quatuor circiter horarum, paroxysmis matuti- " nis." Tertiana, sive species secunda, sæpissime, quatenus ipse vidi, occurrit; plerumque vere apparet, hominesque ætate florentes, constitutione robusta, et vigente, et temperamento bilioso, ideoque diathesi inflammatoria, aggreditur. Hæc species circa meridiem invadit, et itaque talibus verbis a Doctore CULLENO definitur :—" Paroxys- " mi similes, intervallo quadraginta octo circiter " horarum, accessionibus meridianis." Tertia, sive Quartana, pertinacissima et maxime tarda omnium est, scilicet, quam affectis cujusvis visceris, hepatis vel splenis præsertim, fere comitetur; ætatem constantem, et tempore pomeridiano aggreditur. De hoc quoque Doctor CULLEN ita dicit,—" Paroxysmi similes, intervallo septua- " ginta duarum circiter horarum, paroxysmis po- " meridianis." Hic fortasse annotare licet, ad quasdam, ex observationibus præcedentibus, sta-

biliendas, quod de exemplis triginta quinque, me præsente apud Dispensarium supra memoratum tractatis, quatuordecim Tertianæ essent, decem Quartanæ, et octo tantum Quotidianæ Intermittentes; cujus observationis, album ejus institutionis, argumentum et columen existet. Hæ species tres sæpe typum mutant; Quotidianis in Tertianas, et his in Quartanas conversis, imo a typo Intermittente ad formam Continuam (cui quidem Quotidiana maxime proclivis est), commigrare queant.

DE CAUSIS PROXIMA ET REMOTIS.

Causa Proxima.—Vera causa proxima ea, quæ vere morbum efficit et continuat; quæ si sublata fuerit, corpus morbo vacuum relinquit, haberi debet. Pathologi, tamen hunc morbum, non ita bene norunt, ut de eo tali modo, loquantur; id est, causa proxima istius adhuc, in atra caligine mersa, latet. Cum historiam, scientiæ medicæ, inspiciamus, multa de ea re, commenta proposita, invenimus; quæ tantum donec, ingenium animi auctorum, immensum patefacerent, duraverunt, alia-

que statim, his subrutis, provenere. Cum tantillum igitur inter scriptores, de hoc argumento constat, non potest esse, quin opiniones nostræ incertæ, et deductiones inde derivatæ, futiles omnino fiant. Secundum disciplinam Hippocraticam, e nisu naturæ, ad materiam morbificam, intra corpus genitam, per cutem ejiciendam, consistit: a BOERHAAVE lentori et visciditati humorum corporis, refertur; et si HOFFMAN, STAHL, et CULLENO credimus, spasmo vasorum extremorum, ad corporis superficiem, causa proxima hujus mali recte attribuitur. Harum doctrinarum cujuslibet refutationem inire, a re nostra alienum foret; ideoque mihi dicere sufficiet, commentum a CULLENO, ut opinor, hodie apud medicos præceptores maxime valere.

De Causis Remotis.—Has in classes duas, Prædisponentes, scilicet, et Excitantes, Pathologi distribuunt, quarum priores corpus tantummodo, ad morbum suscipiendum proclive reddunt, posteriores, morbum, in corpore sic jam proclivi facto, excitant, et utrisque concurrentibus, morbus vere adesse dicatur.

De Causis Prædisponentibus.—His annumeranda sunt omnia quæ corpus ipsum debilitant, a mente pariter ac corpore orta, veluti victus pravus, aquosus; vestes vel stragula madida, usus potionum meraciorum immodicus, venus nimia, concoctio cibi vitiata, cœli in regionibus calidis, intemperies, tristitia immoderata, pervigiliumque, et cætera quæ pari modo vires vitæ imminuunt. Proclivitas in aliquo adsit, nec tamen ille necessario vitio corripiatur; corpus enim causis excitantibus perpetuo objectum, iis resistere videmus; homo tamen pariter objectus, neque omnino proclivior, forte morbi vehementiam sentiat. Hoc a testimonio scriptoris jure celeb. comprobatur, qui dicit accolas paludum, in Lindi comitatu in Anglia rarius hoc morbo plecti, quam qui regionibus aliis et altiis sitis advenerunt. Hujus morbi semina in corpore, aliquamdiu inertia neque suspecta jaceant; cujus facti, multa et quidem miseranda exempla conspexi in messoribus Hibernis qui in Angliam, fruges demetendi causa iverint, et mensibus Augusto, Septembri, Octobri vel Decembri ineunte, domum redeant, neque morbo ad menses Aprilium, Maium, Junium vel Julium sequentes usque ad, laborent. Consuetudo quoque

causa prædisponens, ducitur; qui enim jam eo morbo ægrotarunt, illi redeunti, causa lævissima, veluti Euro spirante, vel gradu causæ excitantis minori, obnoxii sunt.

De Causa Excitante.—Inter physiologos hodiernos, miasma paludum, sive effluvium a vegetabilibus substantiis in stagnis vel campis palustribus, caloris actione, decompositis, ortum, solam unicamque Febris Intermittentis causam, excitantem, existere constat; quæ sententia talibus argumentis comprobatur. Primo, homines, loca, ubi hoc miasma gignitur, adeuntes, Febre Intermittente plecti. Secundo, Regiones huic febris speciei obnoxias, paludibus desiccatis, et tali exhalatione sublata, salubres fieri; et, tertio, hanc febrem in iis regionibus, quæ stagnis refertæ sunt, et certis temporibus inundantur, maxime valere. Quomodo, istius materiæ, modus operandi,explicandus sit, minime notum est; neque notitiam de ejus dotibus chemicis pleniorem habemus, et talem subesse tantum ab effectibus, judicare licet. Haud secus ac de cæteris miasmatis, omnibus accidit, ut hoc concentratione validius evadit; et siquando, corpori humano, in hac conditione admovetur, malum, de quo agitur, ciet. Doctor

Cullen de hoc argumento talia fatur: "What "the nature of this miasma is, we know not, nor "do we certainly know, whether it differs in kind "or not, but it is probable that it does not, and "that it varies only in the degree of its powers, "or, perhaps, as to its quantity, in a given "space *."

Hæc materia per rivos aëris defertur, nec in suppellectilis partibus fomites efficientibus, latere queat; et in vi a nebulis nocturnis, præsertim si dies prior æstu torridus fuerat, augeri videtur.

DIAGNOSIS.

Iis quæ jam dicta sunt, bene perpensis, mihi saltem liquido constat, Febrem Intermittentem, si modo, symptomata rite notata fuerint, vix cum ullo morbo alio confundi posse. Forsitan tamen, dicatur, quod cum Quartanæ et Tertianæ Intermittentes, in Quotidianas, Quotidianæ in Remittentes, et hæ denique in formam Continuam converti queant, et exacerbationes et remissiones pos-

---

* Vide Prac. Ph. vol. i. s. 84. p. 84

tremarum eodem tempore quo Quotidianæ solebant accidere possint, haud parum difficile inter Quotidianam Intermittentem, et Remittentem, et Febrem Continuam, discrimen facere evadat; sed quoniam, vix aliquid beneficii e tali discrimine, quod ad prophylaxin vel curam attinet, proflueret, jam ad argumentum meum ulterius indagandum progrediar.

PROGNOSIS.

Quoniam multa ex indiciis, a pathologis morbosis esse creditis, a naturæ conamine, morbum, fine salubri inducto, superare, oriantur; in præsagio edendi, vix nimis cauti esse possumus, et scientia nostra, ejus quod causa mortis ultima fiat, præcipue dirigi debemus. Res multæ, ad prognosin in Febre Intermittente, variam et incertam reddendam, conducunt; hujusmodi sunt, cœlum sub quo degunt homines, anni tempestas, temperamentum, et alia fortuita.

Cœli Tractus.—Intermittentes regionum tropicarum, plerumque inflammatione alicujus visceris comitantur, et si diuturnæ fuerint, in eandem

vetustam desinunt, ideoque periculosissima haberi debent. Raro ad exitum lethalem cito decurrunt; attamen post aliquod temporis spatium, tanta debilitas supervenit, ut vim vitæ prorsus exsuperet; aliquando nihilominus, decursum mediocrem peragunt, notæ tamen adeo sthenicæ, ut curatio fortior necessaria fiat. Turbationes viscerum chylopoieticorum, et organorum quæ alimenti concoctioni inserviunt, sæpe in regionibus calidis conspiciuntur, unde Diarrhœa, Dysenteria, hepatis et splenis affectiones, indurationem vel inflammationem vetustam horum organorum, inducentes oriuntur.

Anni Tempestas.—Hæ cœli tractum, quod ad effectus, in intermittentibus haud parum refert. Febres vernales formam plerumque Sthenicam, autumnales vero, Asthenicam, accipiunt. Quo calidior et siccior temperies fuerit, eo magis concentratum virus erit, ideoque actio ejus, in corpus vehementior; dum contra, anni tempestate præter solitum pluviali accidente, miasma adeo ut pene iners fiat, diluitur.

Ægri Temperamentum. — Constitutiones hominum, vel potius Temperamenta, ut secundum artem vocantur, tam diversa, inter se invicem,

existunt, quam morbi quibus singuli obnoxii sunt, et ab aliquo humorum genere præ cæteris valente, varia nomina, veluti, sanguineum, biliosum, phlegmaticum, &c. sibi adepta. Hæc bene novisse medici haud parum refert, quoniam compagem humanam, quod a morbis quibusvis proclivitatem inducendam, vel remediorum in eodem effectus attinet, multum afficiunt. Temperamentum sanguineum, ob actionem virium sanguinem moventium præ cæteris valentem, febribus insigniter, at typi fortasse ardentioris, quam ejus de qua tractamus, objicitur.

Temperamentum biliosum, (vel ut aliter nominatur Melancholicum, ob atræ bilis nimietatem), quia in regionibus ubi intermittentes grassantur, frequentissimum est, organaque quæ fellis secretioni inserviunt, plerumque turbantur, huic morbo maximam proclivitatem habet. Hoc casu, morbus si generaliter dicere fas est, in eas splenis et jecinoris indurationes desinunt, quæ vernacule "*Ague cakes*" vulgo nominantur: tumores œdematosi et magna debilitas succedunt, quæ symptomata nisi tollantur, vel alias morbos vel mortem ipsam tandem inducunt.

Quæ forte et casu accidunt.—Siquando parox-

ysmi breves, mites, et regulares sunt, morbus exitum felicem verisimiliter habiturus est; at si abnormis est, signaque veræ intermittenti aliena, veluti Syncope, Apoplexia, spasmus vehemens, torpor, vel quodvis ex organis magis ad vitam conferentibus, graviter affectum, functione ejus impedita, accedunt, periculum gravissimum metuendum erit. Si corpus quando miasma febrificum apponitur, alio quodvis morbo laborat, aggressu minus facile resistere poterit; hinc Intermittentes cum affectionibus organorum vitalium conjunctæ, inter mala gravissima habendæ sunt. Quum intervalla paroxysmorum brevia eunt, veluti in forma quotidiana, quia tunc vires quam maxime prostrantur, neque requies inter aggressiones adeo longa est, ut constitutu sese recipiat, et ad exacerbationes secuturas subeundas idonea evadat, pessimum erit. Hic morbus autem tali modo, non sæpe desinit; alicujus cavorum, visceris sæpius, affectionem vetustam, inducit. Cum hoc malum, simul cum affectione viscerum locali, adest, (quod ab iis qui regiones torridas inviserant, ibi haud raro accidere discimus), periculum augescet. Hoc verum esse conspexi, sub nostro cœlo temperato Hibernia, scilicet, ubi splenis et

jecoris morbi, curationem difficiliorem et tardiorem, morbumque ipsum sæviorem, reddidere. Diuturnitas Intermittentium, valde incerta est; et ab hebdomadis paucis, ad annos aliquot variat; plerumque vero, earum pertinacissima est Quartana, quæ præterea, difficillime ad sanitatem perducitur.

RATIO MEDENDI.

Hanc partem tentaminis, haud exigua diffidentia ineo, ob multas imprimis mutationes, quas Febris Intermittentis medela, vel, a cogitatione, medentis præjudicata, vel praxeos, diversis temporibus, consuetudine, diversa subiit; pauca tamen de ea, quæ medentibus, jam maxime placere videtur, proponam. Tria sunt, igitur, ut opinor, consilia a medico satisfacienda.

1*mo*, Paroxysmo progredienti, quam citissime occurrere.

2*do*, Paroxysmis redituris prævenire.

3*tio*, Vim roburque corporis universi, sustinere: quibus,

4*to*, Fortasse, adjicere liceat, nempe, Symptomata singula allevare.

1*mo, Paroxysmo progrediente quam citissime occurrere.*— In hoc consilio satisfaciendo, cautela ob res quasdam necessaria evadit, tales sunt, Diathesis Sthenica, sive Phlogistica, vel sanguinis impetus, in aliquod ex visceribus, trium cavitatum majorum directus; quæ porro conditiones singulæ remediis, cuique idoneis tollendæ sunt, aliter enim remedium morbo ipso perniciosius fiat.

Medicamenta ad hoc usurpata generis antispasmodici sunt; quorum dotes medicinales antiquis minime incognitæ fuisse videntur; eos enim allium, sinapi, capsicum, et similia, ad hoc præcepisse invenimus. Opium, sub forma tincturæ copia ʒ ss., vel cum æthere sulphurico, eadem proportione conjunctum, cum beneficio optato assumptum vidi; sed hoc haud secus ac alia remedia, omnia (quare nescio) inutile, conspexi. Emetica vel ad nauseam, vel ad vomitum plenum, devorata, sæpe auxilium secum afferunt. Ad morbi initium vomitoria meliora sunt, quia genus sanguiferum excitant, et canalem alimentorum, aliquando per catharsin deplent, et ad actionem medicaminum postea exhibendorum ventriculum magis aptum reddunt. Inter stadia vero

subsequentia, nauseantia tantummodo, magis idonea fient, quæ vi solvente lenem diaphoresin inducant. Stibii et Zinci præparationes, summo cum beneficio usurpatas vidi. Vide formulam subscriptam *.

Ad turbationes Primarum Viarum, semper respicere oportet, et usque, primo per cathartica, deinde per laxantia, tolli debent; aliter enim cætera remedia effectu careant. Ad prius consilium calomelanos extractum catharticum, pulvisque jalapæ simplex vel compositus, bene accommodantur; ad posterius, senna, rheum palmatum, manna, et sales neutri. Aliquando paroxysmus subigi nequit; at fere accidit quod signa leniora eveniant, et ægri molestia minuatur.

2do, Paroxysmo redituro prævenire.—Dum intermissio adest, tempus est optimum quo medicina aliquid boni agatur, et medicamenta, ad hoc laudata, valde diversa sunt; horum au-

---

* R. Antimonii Tartratis, gr. iv.
Aqua ferventis, ℥ ij. Misce, fiat Mistura.
Cujus capiat ℥ j. quadrante quaque hora, donec vomitus superveniat. Vel,
R. Sulphatis Zinci, ex gr. xij. ad ℈ j. pro emetico.

tem cinchona apud omnes maxime æstimatur, etsi pauca sunt medicamina, quibus usurpandis, quam huic, impedimenta plura objecta sunt. Illorum medicaminum, est quæ copia majore, et in morbi decursu perquam mature devorata prosunt. Non autem semper, adeo cito et largiter exhiberi potest; sæpe enim ob conditionem ventriculi irritabilem, iterum rejicitur; tali casu vero, doses parvas, et repetitas, vel cum opio conjunctas, vel forma enematum in anum infusas, experiri oportebit. Multum effectus ejus, ab administrationis modo pendet; pulvis quidem sæpissime præcipitur; cum tamen hanc formam nauseam facilius excitaturam esse verisimile videtur, infusum, decoctum, extracta aquosa vel alcoholica, aut tinctura, in locum illius sufficiantur.

Arsenicum pro febrifugo aliquamdiu in honore fuit, at exploratione accurata instituta, constitutionibus quibusdam nocere compertum est; nihilominus in Febre Intermittente, remedium æstimabile est, et sub forma solutionis D^ris^ FOWLERII, arsenitisque potassæ, plerumque exhibetur. Soluti exhibitionem nonnunquam gravia indicia, veluti vomitus, vertigo, visus jactura, tormina,

et alia symptomata perversa comitantur, ideoque, cum quovis cathartico aromatico, vel opiato, conjungi debet: ægerque levissimo incommodo sustentato, ab ejus usu statim abstinere jubeatur. Solutionis arsenicalis guttæ a duabus ad sex, vel plures (pro ægri ætate et viribus), bis in die, imperentur, et arsenitis potassæ grano a decimo sexto ad decimum quartum pro dosi ingeratur. Copia primo parva esse debet, et postea augeri; ut, quæ copia ægro optime conveniat, reperiatur, aliæ constitutiones enim aliis facilius afficiantur. Interdum hæc utraque medicamina inefficacia inveniuntur, et tali casu parum quidem ab aliis remediis ad consilium secundum satisfaciendum sperari potest; ideoque ad tertium transeundum est.

3tio, *Vim roburque Corporis universi sustinere.*—Non satis erit, paroxysmo semel, bis vel aliquoties obsistere, sed vires vitæ, constanter, auxilio subire, necesse fiet. Ad hoc aliquot remedia jam memorata usurpanda sunt; veluti tonica, quibus amara et astringentia amara adjiciantur. Cinchona in hoc stadio, consilio ac in duobus prioribus diverso, exhibetur; hic enim,

quasi tonica ad corpus contra vires morbi debilitantes sustinendum, at in prioribus, uti stimulans, præcipitur, ut actione cordis et arteriarum excitata, miasma febrificum superatum, ejusque actio subacta, foret. Generis secundi, amarorum, scilicet, multa in usu sunt; maxime laudata, autem esse videntur, infusa quassiæ, gentianæ, anthemidis, leontodontis, et colombæ, quæ aut per se, aut cum cinchona conjuncta, exhibeantur. Alvus regularis, sed non nimis cita, servari debet, quod per aliquod leniter laxans, veluti electuarium sennæ, mannam, oleum ricini, salesque neutros, &c. efficiatur. Diæta tenuis, facilis concoctu et nutriens, sit, omnesque liquores fermentatos et inebriantes, omni cura evitare oportet.

4*to*, *Symptomata singula allevare.*—Inter Febris Intermittentis decursum, aliquot signa, sese in apertum produnt, quæ etsi a Febre Intermittente idiopathica, aliena sint, non eo minus, animi attentionem insignem, sibi vindicant; quoniam iis, non sublatis, vel saltem sublevatis, curatio febris ipsius, si omnino effici potest, difficillima evadat.

Harum paginarum limites, cunctas has affec-

tiones minute inspicere, non sinunt; et itaque tantummodo eas quæ sæpissime hunc morbum comitantur, et sua natura maxime molesta sunt, animadvertam. Quasdam ex iis adeo, pestiferas esse cognovi, ut morbum eo unde orirentur, magis complexum et sanatu difficiliorem, effecerint. Hujusmodi sunt tumores vel scirrhus jecoris et splenis,vel horum viscerum induratio quæ Anglice "*Ague-cake*" nomen habet.

Hæc nisi tollantur vel subleventur, Hydropem, Icterum, Diarrhœam, seriemque symptomatum gravissimorum, inducant. Quamvis febris ipsa sistatur, hæ indurationes haud raro adeo pertinaciter manent, ut omni remedio obstent, et hydrargyro soli cedant. Hoc optime copia parva, at sæpe repetita, submuriatis hydrargyri, vel sub forma pilulæ hydrargyri, exhibeatur. Si Diarrhœa ab actione ejus in intestina supervenerit, hoc medicamen, cum opio conjungatur, vel unguentum forte, lateri supra situm visceris affecti, imponi queat.

Interdum accidit, ut hoc forma quaque spem medici fallat, et remedia minus valida effectum speratum præstent. Portiones, conii maculati parvæ, a nonnullis laudatæ sunt; at hujus medi-

caminis efficientiæ, imperitus sum. Si hæc conditio indurata haud tollatur, hydrops plerumque succedit, a ramulis, ut verisimile apparet, venæ portarum obstructis, redituque sanguinis libero, a visceribus abdominis, sed præcipue chylopoieticis, impedito, unde copia lymphæ exhalatur major quam quæ per absorbentia exhauriri possit. Siquando diarrhœa sponte accesserit, pulvere ipecacuanhæ compositæ, vel mistura cretæ, vel opiatis, optime compescatur.

Hic ergo tentamen meum mancum, de morbo adeo momentoso scriptum, ad finem perduco: multa vera de historia, causis, et ratione medendi, me præterisse fateor, quæ quidem ingeniis melius instructis illustranda, relinquo; et interea veniam illorum, qui has paginas forte perlegant, qua decet reverentia, posco.

FINIS.